



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 61. Caroli Alexandri defuncti Dicis Wirtenbergensis testamentum vindicatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

ejusdem Mensis adversus Ordines vehementer querebatur, eo quod in Pace Westphalica Episcopis duntaxat in Protestantibus, non autem in Diæcesanos Catholicos, jurisdictionis Episcopalis usus fuerit suspensus, & defuncti Ducis reversales essent nullæ, &c.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

§. LXI.

Caroli Alexandri defuncti Wirtenbergensis Ducis testamentum vindicatum.

De reversalibus seu de pacto, quo defunctus Dux primo Belgradi anno hujus sæculi vigesimo nono & tertio post anno die decima sexta Decembris Lutheranam Religionem & privilegia in suo Ducatu non turbaturum se spondit, frequens jam occurrebat mentio; cum autem inde haud leves orirentur querelæ, & Protestantes ipsum Caroli Alexandri testamentum velut paci Westphalicæ, & particulari Religionis Statui Wirtenbergico contrarium traducerent, pluraque alia in defuncti Ducis præjudicium spargerent, hinc ipsa Ducissa Vidua doctissimo Joanni Adamo Ichstädio Consiliario Aulico, ac Juris publici in Herbiopolensi Universitate Professori negotium dedit, ut hanc controversiam discuteret, quod

Yy 4 &

Sæc. XVIII

A. C. 1740

& ipse præstitit & anno Christi millesimo septingentesimo trigésimo octavo hanc in rem libellum edidit sub hoc titulo: *Wirttembergense Fundamentum, seu clara & exacta demonstratio, qua Testamentum defuncti Ducis Anno 1737. die 7. Martii erectum etiam circa administrationis & tutelæ dispositionem spectato communi ac publico jure & Ducatus statuti valere ostenditur &c.* Juvat ergo ex ipso hoc Testamento prius summam eorum depromere, quæ ad dilucidandam hanc controversiam vel maxime conferunt.

Primo igitur Dux disposuit, ut ejus „Corpus post sui obitum Principe digno „quidem, militari tamen ritu sine speciali pompa & sumptu pro more in „Ducali hac familia usitato Ludoviciburgum in Ducalis Ecclesiæ cæmeterio deponatur, & in die depositionis „Stuttgardiæ, Ludoviciburgi & Tübingæ centum quinquaginta floreni in „pauperes, in ceteris vero urbibus „quinquaginta floreni distribuantur, & „Clerus Catholicus juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ Cadaver sepeliat, & exequiarum tempore non modo quilibet ex Clero unum „Sacrum celebret, sed etiam a die „obitus usque ad sepulturam pro defuncti anima semper Sacrificium Missæ offeratur. „

II.

II. Quantum vero specialiter ad ^{Sæc. XVIII.}
 „promovendum Dei honorem & Fidei ^{A. C. 1740.}
 „libertatem in Germania concernit in
 „articulo decimo sexto ut cavillationi-
 „bus Dux obviaret, quæ fors inter
 „ipsum & Ducalem Familiam ejusque
 „subditos circa religionem fieri possent
 „ex eo, quod Dux per clementissimam
 „Altissimi gratiam & per Sapientem
 „providentiam, & revera mirabilem
 „ejus vocationem ad firmam cognitio-
 „nem infallibilis veritatis Christiano-
 „Catholicæ fidei ad antiquam Religio-
 „nem maturo judicio & sine ullo pri-
 „vato commodo multis retro annis rever-
 „sus sit, utque inde in Ducatus Regimen,
 „Regni Circulique negotia, aliaque pacta
 „conventa & deputationes deinceps
 „nulla ex parte turbatio inferri queat,
 „vel ansa præbeatur, sed potius inter
 „Ducem & subditos firma sit concordia
 „& obsequium, in commodum suorum
 „hæredum & successorum tanquam
 „optimum principium commendavit,
 „voluitque, ut omnes & singuli hære-
 „des nunc & imposterum omnibus pro-
 „fanæ Religionis & Westphalicæ paci
 „aliisque circa Religionem firmatis
 „Imperii legibus & statutis sese confor-
 „ment, & sequantur, ac propterea,
 „prout Christianum & Imperii Princi-
 „pem decet, memores sint, quod, sicut
 „tres

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

„tres in S. Imperio Religiones & præ-
 „scriptæ earum dispositiones & liber-
 „tates, vim legis obtinuerunt, ita &
 „illis insistant, & prout conventum
 „fuit, quod ad hanc vel illam juxta
 „modum in Instrumento pacis præscri-
 „ptum & concessum denuo reverti libe-
 „rum, & juxta humanas leges in po-
 „liticis concessum sit, ita Principes
 „suos subditos uni ex his tribus Reli-
 „gionibus addictos æquali affectu prole-
 „quantur, protegant, & toveant, si-
 „que cuilibet suum jus factum serva-
 „verint, nunquam errare, ac insuper
 „a Deo benedictionem, felicitatem,
 „honoremque in suo Regimine certo
 „sperare & obtinere possiat., Præ-
 „fertim vero suos hæredes hortabatur,
 ut in Ecclesia Catholica, ad quam ipse
 Dei dono ac lumine denuo vocatus
 fuisset, sine omni hæsitatione perseve-
 rarent, eo quod hæc *Ecclesia pro veteri*
Ecclesia palam habeatur, ejusque præro-
gativæ usque ad hanc diem in omnibus Or-
his partibus perseverent, illaque rectissimo
tramite a Christi doctrina, & S. Aposto-
lorum traditione descendat.

III. Disposuit in articulo decimo
 septimo, ut omnia tam Virorum quam
 Virginum Monasteria a Predecessori-
 bus occupata & ad usus profanos trans-
 lata in præsentis statu relinquatur, &
 tan-

tanquam ærarii & Ducatus magna & Sæc. XVIII.
 pinguis pars eidem incorporata maneat, A. C. 1740.
 quin ullus eorum quicquam donare
 vel alienare queat: ejus vero hæredes
 hac in re nullum conscientiæ scrupulum
 habeant, eo quod Dux desuper cum
 summo Pontifice convenisset.

Articulo decimo octavo Conjugi
 suæ Mariæ Augustæ demandavit, ut
 quamdiu in Viduitatis statu permanse-
 rit, maternam sollicitudinem & fide-
 lem curam erga ejus Filios & Filias
 eo impendat, ut hi, prout Christianos
 & Principes decet, in veteri, quam
 ipse Dux per specialem miserentis Dei
 vocatione, ac considerata prorsus mente
 pro se suisque hæredibus denuo pro-
 fessus esset, *Catholica Religione, & in
 vere Christiana Ecclesia educantur, utpote
 quæ a Christi & S. Apostolorum ævo de-
 scendens, unica, & vere Ecclesia vera est,
 proin talis præter ipsam nulla alia esse pot-
 est, nec unquam præter ipsam alia vera
 fuit, & extra quam omnes aliæ Ecclesiæ,
 si quæ se tales jactitant, & erigere volunt,
 vel eadem vetus vel nova necessario esset,
 & pro talibus habere debeat, necnon in
 Dei timore, & unice ex eo laudabiliter
 conducentibus honorum semitis, in
 Christianis & Principe dignis, inge-
 nuis, bonisque moribus, virtutibus &
 scientiis, in scelerum & probrosæ vitæ
 odio*

Sæc. XVIII. odio ac abominatione rite instituantur
A. C. 1740. necnon a Viris militari experientia claris in arte bellica probe imbuantur ut suorum Prædecessorum heroicis vestigiis inuidentes conciliata sibi Cæsaris Imperii, & Circulorum benevolentia suo tempore militaria officia obire queant.

Articulo autem decimo nono Dux prolium suarum Tutores & Ducatus Administratores necnon Testamenti sui executores Carolum Rudolphum Ducem, & Mariam Conjugem suam dixit. eosque rogavit, ut Hæreditarium Principem utpote Catholicum juxta Patris dispositionem scriptotenus relictam sub magisterio cujusdam Catholici Moderatoris & Informatoris proxime nominandi educari, hac impostero ad hæc officia non alios, quam probos Catholicos nominari curarent. Con-Tutores autem & Con-Rectores denominavit secretius suum Consilium. Ut vero grave Regiminis onus relictæ Viduæ imponendum levius redderet, & occurrentia negotia melius perficerentur, ceteris Tutoribus Herbipolensem ac Bambergensem Episcopum adjunxit, voluitque, ut in gravioribus negotiis nihil sine ipsius consilio fieret, eoquod ipse ob comprobatam suam experientiam & integritatem optime consulere, &

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

& secretiori Senatui in sacris & profanis, Imperii, cameræ, publicisque rebus tutissime præesse valeat, ac propterea ei tanquam rogato Con-Tutori supremo de omnibus exacta notitia communicetur, & prudens ejus consilium ac judicium expetatur.

Præterea articulo vigesimo primo Dux declaravit, quod sinceræ prædicti Episcopi amicitia multis argumentis comprobata, necnon specialiter præclaris ejusdem dotibus & in profanis Germanici Regiminis causis notoriæ experientia, singulari prudentia, & magnanimitati per plures annos expertæ plene confusus Eidem (præter Mariam Conjugem) Con-tutelam committeret, eamque ab illo acceptatam fuisse Dux declaravit, disposuitque, ut post Ducis obitum, Filiò adhuc minorenni, in omnibus gravioribus negotiis præfati Episcopi mens & consensus omnino expetatur, & nec in Religionis causis, in quibus Westphalica pax pro Regula habeatur, nec in alio quovis negotio, quod ad jura, prærogativas, & Ducatus decorem, necnon ad Christianam & Principe dignam Filiorum suorum educationem, & ditionum incrementum spectat, vel ubi de nominandis vel mutandis officiis agitur, quicquam sine prædicti Episcopi præscitu & consensu agatur,

Sæc. XVIII. agatur, disponatur, decidatur, minus
 A. C. 1740 ~~vero~~ vero ad effectum deducatur, quinimo
 si hunc Episcopum mori contingeret,
 Dux ejus Successorem in Con. Tutoris
 munere subrogari voluit.

Articulo autem vigesimo tertio statu-
 tuit, ut si ipsemet Moderatorem ac
 Præceptorem non nominaverit, *Catho-
 licus* cum præcitu & consensu dicti *Epis-
 copi* a Tutoribus designetur.

Vigesimo quarto articulo declara-
 vit, quod semper proximus Agnatus,
 & pupillorum Mater, & post ejus obi-
 tum Avia, & hac deficiente solus Ag-
 gnatus unacum Consilio secretiori su-
 premam Tutelam & Regni administra-
 tionem obeant, his quoque duo Tuto-
 res seu Curatores honorarii ex Imperii
 Electoribus vel Principibus adjungan-
 tur, ita ut eorum unus sit *Catholicus*,
 alter Lutheranus &c.

Vix hoc testamentum erat publi-
 catum, cum illico Protestantes altum
 inclamarent, illud paci Westphalicæ,
 & antiquis Ducatus Constitutionibus
 esse adversum, & fidei Catholicæ en-
 comia ceteraque Catholicis faventia
 non ab ipso Duce, sed primum ab Her-
 bipolensis Episcopi Consiliariis con-
 cepta, a Ratho Consiliario Stutgar-
 diam delata, & demum a Remhingio
 Belli Præfecto ad subscribendum fuisse
 pro-

promota: Ubi tamen id prorsus singu- Sæc. XVIII.
 lare videtur, quod Protestantes ulti- A. C. 1740.
 mam hanc Ducis voluntatem minus
 liberam, imo dolose extortam fuisse,
 reversales vero a Serenissimo sine omni
 coactione, & liberrime fuisse factas
 scribant, non alio sane fundamento,
 nisi quod Testamentum fidei Catholicæ,
 reversales autem Lutheranæ Religioni
 favcant. Cum ergo horum criminatio
 defuncti Ducis & Herbiopolensis Episcopi
 honori ac famæ, imo ipsis quoque Im-
 perii legibus nimis aperte derogaret,
 hinc præfatus Ickstädius suam deductio-
 nem publici juris fecit, eamque in qua-
 tuor articulos partitus est. In primo
 igitur de Principum Testamentis in ge-
 nere, deque eorum valore agit, in
 secundo de Principum tutelis, eo-
 rumque ditionum administratione, in
 tertio de ipso defuncti Caroli Alexandri
 testamento in specie, & denique in
 quarto de valore, & æquitate eorum
 omnium, quæ Dux ratione tutelæ &
 administrationis in suo Testamento di-
 sposuit. Præprimis igitur celeberrimus
 hic Professor demonstratum ibat, Sere-
 nissimi Ducis Testamentum nec Reli-
 giosæ & Westphalicæ paci, nec Statui
 Religionis præsentis in Wirtenbergen-
 sem Ducatum investo adversari, eo-
 quod ipsemet Dux in §. decimo sexto
 su-

Sec. XVIII. A. C. 1740. supremæ hujus voluntatis disposuisset, ut omnes ipsius Hæredes ac Successores in omnibus profanam, Religiosam & Westphalicam pacem aliasque circa Religionem fundamentales Imperii leges & statuta sequantur, ita tamen, ut sicut omnes tres Religiones in Imperio sint receptæ, ita quoque, sicut vi pacis concessum, unicuique ad hanc vel illam religionem reverti integrum esset, sic memores sint, ut suos subditos Catholicos pari affectu ac Lutheranos vel Calvinistas foveant, & tueantur: In hoc autem Dux nihil paci Westphalicæ contrarium statuerit; eo quod nec Westphalica nec alia pax conscientiæ libertatem a Lutheranis jam ab initio reformationis tantopere decantatam unquam sustulerit, hæc autem libertas præprimis in eo consistat, quod nemo ad hanc vel illam Religionem inducatur vel cogatur, sed cuivis hanc vel illam amplecti liberum sit: Protestantes quidem Principibus suis adulandi studio præter jus in Sacra asseruisse jus reformandi exercitium Religionis, quod denuo conscientiæ libertati recta adversaretur, eo quod Princeps huic Politicorum principio: *Ejus esse Religionem, sive de Religione constituenda arbitrium, cujus est Religio, seu Ejus esse Religionem, cujus Regio, innixus sibi jus arrogaret* Reli.

*Kemmerich
in Jur
Publ. l. 7.
c. 4. §. 55.*

*Böhmer.
Jus Eccl.
Protest. t. I.
p. 35. §. 16.
Repert.
Real. Pragm. cujus est Religio, seu Ejus esse Religionem,
Paris publ. cujus Regio, innixus sibi jus arrogaret
Gene 1751.*

Religionem Catholicam e sua Regione
 extirpandi, Catholicos expellendi,
 solam Confessionem Augustanam inve-
 hendi, Prædicantes Lutheranos Ca-
 tholicis subrogandi, subditos suos cogen-
 di, ut suam doctrinam, etsi falsa sit,
exterius saltem profiteantur &c. tale
 jus reformandi Religionem Catholicam
 Principes Laicos Catholicos quidem
 abhorrere, eos quippe nemini nisi sum-
 mo Pontifici, & Episcopis jus Episco-
 pale, eique annexa attribuere, & sibi
 duntaxat brachio sæculari, ubi opus
 esset, Religionem contra ejus hostes
 defendendi prærogativam vindicare,
 hacque de causa Principes Catholicos
 Protestantibus tale jus reformandi con-
 stanter in pacis Westphalicæ tractatio-
 ne abnegasse, Cæsareos enim Pacif-
 centes §. 30. art. 5. *per jus reformandi
 exercitium Religionis subditorum* non in-
 tellexisse jus in Religionem, vi cujus
 tanquam Principes territoriales seu ex
 vel cum solo jure territorii Religionem &
 fidem veram determinare, definire &c.
 possent, sed duntaxat illud prætendisse jus,
 quod *cuius Domino territoriali aut statui im-
 mediato in Religionis negotio* ex antiqua
 praxi competit, & in quo ab alio quovis
 Con-Statu impediri nequeat, scilicet,
 Principes Catholicos tanquam Eccle-
 siæ Protectores, & Dei Ministros esse
 Hist. Eccles. Tom. LXXVI. Z z ob-

Sæc. XV. II.
 A. C. 1740.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740

obstrictos, ut suos subditos ad veram Religionem adigant, a falsa arceant, & parere nolentes, ad emigrandum cogant, & emigrandi facultatem eis non denegent: Principes autem Catholicos huic juri reformandi nunquam renuntiare voluisse imo nec potuisse, cum sit jus non uni soli sed toti Catholicorum statuum corpori competens, regulariter autem tali juri in suam & alterius favorem introducto neminem renuntiare posse.

Quoniam vero Protestantes pacifices jus reformandi Religionem Catholicam erga subditos suos sibi ratione territorii & Superioritatis pertinaciter assererent, hinc ob paritatem rationis etiam Principes Catholicos, utpote etiam Dominos territoriales, incassum reclamantibus Suecis & Protestantibus, in §. 30. *Quantum deinde jus reformandi & regulam juris territorialis circa negotium Religionis, quod cuilibet Domino territoriali competit, sibi asseruisse his verbis: Cum ejusmodi statibus immediatis cum jure territorii & superioritatis ex communi per totum Imperium hæcenus usitata praxi etiam jus reformandi exercitium Religionis competat, ac dudum in pace Religionis talium statuum subditis, si a Religione Domini territorii dissentiant,*
bene-

beneficium emigrandi concessum &c. conven-
 tum est, hoc idem porro quoque ab utrius-
 que Religionis statibus observari, nullique
 statui immediato jus, quod ipsi ratione ter-
 ritorii & superioritatis in negotio Religio-
 nis competit, impediri oportere (*), proin-
 nequidem oportere, ut Princeps Ca-
 tholicus a suis subditis a Religione Do-
 mini territorii dissentientibus a jure re-
 formandi per pacta metu aut promissis
 vel conditionibus de non solvendo ære
 alieno &c. extorta impediatur, cum
 Principes Catholici Paciscentes, de quo-
 rum Religione vel toleranda vel reci-
 pienda, utpote quæ jam per plurima
 sæcula in quieta sua possessione usque
 ad hanc diem remansit, & ab ea a nul-
 lo deturbari potest, & in pace West-
 phalica actum non fuit, antiquum hoc
 jus territoriale, seu simultaneum intro-
 ducendi vel reformandi, sibi nulla
 clausula vel exceptione restringi aut li-
 mitari passi non sint, aliunde etiam pa-
 cem Religiosam, quæ pro libero juris
 reformandi exercitio pugnat, in Instru-
 mento P. W. non esse sublatam sed po-
 tius Art. 5. T. 1. confirmatam, proin-
 Z z 2 ei-

Sæc. XVIII.

A. C. 1740

(*) Vid. Dissert. Gabrielis Schwederi de
 coexercitio utriusque Religionis. Anno 1727.
 & Dissert. Joannis Barthel de jure reformandi
 novo 1744.

Sæc. XVIII. eidem semper insistendum, cum in §. 3.
 A. C. 1740. hoc non obstante & tantum statuatur, ut
 Princeps Catholicus subditis Protestantibus suæ Religionis exercitium quod anno 1624. habuerunt, relinquat, non autem prohibeatur, ne vi superioritatis territorialis publicum Catholicæ Religionis exercitium invehat, etsi ibi anno 1624. ea non vigerit nec obstat hic ipse annus normalis §. 31. hoc tamen non obstante; hoc enim paragrapho statui quidem Regulam, vi cuius illi Catholicorum Principum subditi, si qui in prædicto anno Augustanæ confessionis exercitium habuerunt, illud retinere poterint, non autem statui Regulam contra jus territoriale, vi cuius Princeps Catholicus suis subditis, qui post hunc annum ad fidem Catholicam revertuntur, publicum exercitium permittere, & simul publicum Religionis Catholicæ usum invehere possit: circa hoc quippe jus reformandi statuum Catholicorum, quod nunquam antea in controversiam deducebatur, non fuisse constitutam normam, nec novi quid in Instrumento P. W. fuisse ordinatum, sed antiquum jus reformandi *ex jure territoriali* descendens confirmasse. Inde ergo sequi, quod Defunctus Dux Carolus Alexander in suo testamento omnino Paci Westphalicæ contrarium sta-

statuerit, minus vero illud impugnari potuerit, ex eo, quod suum Cadaver ritu Catholico & comitante Clero sepeliri voluerit, *conventum enim esse, quod nulli statui immediato jus, quod ipsi ratione territorii & superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oporteat*: hoc autem jus, imo & Aulicum Religionis Catholice cultum per pacta concessum, cui omnino annexa est sepultura ritu Catholico, per Ducis mortem non fuisse extinctum, eapropter, dum Protestantes Clerum ritumque Catholicum in Ducis sepultura adhiberi vetabant, Carolus VI. Imperator an. 1737. die secunda Aprilis rescripto ad Ducem Carolum Rudolphum dato præcepit, ut Catholici ritus scilicet crucis gestatio, turribuli usus, & Cleri Catholici comitatus intra arcis ambitum adhibeatur, ac deinceps Catholice Religionis in suo exercitio, necnon Ducalium Principum educationi nullum interponatur impedimentum:

Præterea non obstare hæc verba: in reversalibus contenta *privatum Religionis Catholice exercitium*; ea enim intelligenda esse duntaxat *relative ad subditos*, non autem ad Principem territorialem, qui in Aula sua omnes ad Religionem Catholicam spectantes atque annexos actus libere exerce-

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

re potest ; sicut hucusque & ubique omnes actus ministeriales, v. g. Baptizare, confessiones excipere, matrimonio conjungere, Concionari &c. a Presbyteris Aulæ destinatis sine omni contradictione peraguntur, nec obtinere P. W. Paragraphum : *Pacta autem* &c. de ipso enim Religionis Catholice exercitio Ducem cum Prælatibus & Ordinibus jam specialiter convenisse.

Cum autem Protestantes criminerentur, a Duce Religionem Catholicam in §. 16. & 18. Testamenti sui amplius elogiis fuisse celebratam, respondit Ichstättius per has laudes Augustanam Confessionem non fuisse probro per P. W. prohibito affectam ; Ducemque pari jure usum fuisse, quo ejus Antecessores in suis Testamentis Lutheri Sectam seu unice salvificam deprædicassent, & oppositam doctrinam pro erronea habuissent.

Ad secundum autem articulum comprobatum reddidit, Catholicum Successorem in Protestantiam ditionem, vel Protestantem in ditionem Catholicam ad pacta, reversales, & recessus a suis Antecessoribus hanc vel illam Religionem profitentibus factos, & illius Religionis conservationem, & restringendum jus reformandi & circa
sacra

facra initos non aliter adstringi, quam hi recessus &c. Religionis & Westphalicæ paci conformes sunt, aut Successor *per pactum aut acceptationem expressam* illos servare pollicitus est: Præterea Carolum Alexandrum ad Wirtenbergicas suorum Prædecessorum reversales haud magis imo minus obstrictum fuisse, quam ipsius Antecessores Lutherani ad pacta suorum Antecessorum Catholicorum cum suis Catholicis Ordinibus inita de non immutanda Religione Catholica, qui se nunquam in prætenso suo jure reformandi turbari vel impediri passi fuissent. De cetero autem defunctum ducem in suo Testamento a reversalibus non recessisse, etsi earum mentionem expressam non fecisset, nec hæredes suos ad illas remisisset: minus vero demandatam suarum prolium educationem in Religione Catholica ulatenus Paci W. esse contrariam, sed potius hanc esse Christianam, prudentem, & Imperii legibus conformem, & a patriæ potestatis officiis præscriptam, imo in pari casu idem etiam Principibus Lutheranis permissum esse.

Denique ea, quæ defunctus Dux in suo Testamento ratione Tutelæ & Administrationis disposuit, omnino valida esse, comprobavit Ickstättius, eo-

impediri
defun-
rever-

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

quod Matrem Tutricem atque Administratricem Wirtenbergici Ducatus denominari, priorum temporum exemplis probetur, dumque nullatenus ex necessitate juris, sed ex mero suo arbitrio Carolum Rudolphum tanquam Coadjutorem designarit, eapropter tam Matris Ducissæ, quam Herbipolensis Episcopi denominationem ab ipso Cæsare tanquam omnino legitimam fuisse declaratam; nec ipsius Episcopi Personæ quicquam obiici posse, cujus prudentia & merita universo Orbi essent comprobata: aliunde vero honorariam Tutelam supremam extraneis quoque in Testamento deferri posse, nec omnino diversitatem Religionis obstare, cum omnes tres Religiones in S. R. Imperio receptæ essent, & pari omnino jure gaudeant: nec etiam Co-administrationem Herbipolenti Episcopo delatam ullatenus famosis reversalibus adversari; in illis enim duntaxat Ducem promississe, ad munia & officia publica non nisi Lutheranos esse promovendos, ad ea autem referri non posse Tutelam Ducatus administrationem, utpote officium personalissimum, quod intimius respicit Personam ipsius Principis Regnatis in minorenni adhuc ætate constituti, præcipue cum jam antea tam Ordines quam subditi omnibus in-

nova-

novationibus abunde præcavissent & Sæc. XVIII.
 nunc Ducalis Linea Catholica in casu A. C. 1740.
 ejus tutelæ inter proximos Agnatos
 fors emerfaro nunquam concessura sit,
 ut hi sub frivolo Religionis Catholicæ
 obtentu a Tutela excluderentur.

Denique Wirtenbergicos Confilia-
 rios, quorum suafu Serenissimus Testa-
 tor hæc omnia disposuit, sic disponen-
 di causas in Testamento allatas sibi no-
 tas habuisse, nec de Episcopo Herbi-
 polensi usurpationem juris circa Sacra
 esse pertimescendam, eo quod ei hac
 ratione nullum munus & officium Epi-
 scopale aut Ecclesiasticum fuerit com-
 missum, vi autem demandatæ tutelæ
 haud amplius eidem incumbat, nisi
 quantum Princeps Pupillus tanquam
 territorialis Dominus jura circa Sacra
 territorii aut aliud quodcunque jus ali-
 unde exercendi facultatem habet. Imo
 ipsemet Herbipolensis Episcopus in pro-
 prio suo Ducatu Religionem in Imperio
 receptam juxta Imperii leges tueri quo-
 tidie intentus sit. Nec obstare, quod
 præfato Episcopo etiam jus in negotiis
 & causis Religionis concurrenti facul-
 tas in Testamento data sit; quamvis
 enim in reversalibus cautum fuisset,
 Religionis causas a solo secretioris Se-
 natus Collegio esse agitandas, nihilomi-

Sæc XVIII
A. C. 1740

nus supposito qualicumque eorum valore, illas nunquam ita intelligi posse, ut Religionis negotia etiam durante Principis Regnantis minoritate a solo secretiori Consilio sine præscitu supremorum Tutorum peragi, definiri, aut ad exitum deduci possent; nullatenus enim præsumendum esse, quod minoris hic Princeps tanti momenti causas in luculentum proprium suum discrimen, & præjudicium merito timendum, soli arbitrio & suorum Consiliariorum in Religionis rebus a se dissidentium voluntati relicturus sit &c.

Huic Ickstättii scripto alius ex Protestantibus opposuit annotationes, in quibus tamen nil profertur, quam quod non jam a clarissimo Professore, vel fuisset præoccupatum, vel confutari superfluum, indignumque foret: id unicum vero in his notis singulare est, quod earum Auctor asserere audeat quod nisi Catholicus Princeps Religionis Lutheranae conservationem fuisset pollicitus, ejus subditi eidem fidelitatis homagium non exsolvisent: En! novum legitimo Domino ac Principi obsequium denegandi, contra eum rebellionem concitandi sceptroque spoliandi obtentum, modumque.